

Suetoniana

(*carracutium. limbus. 'voces animantium'. alia*)

1.

In codice Vaticano 3321 saec. VIII scripto, quo Angelus Maius Classicorum Auctorum t. VI p. 514 a parum diligenter usus est, hanc habes singularem memoriam: 'caracutium. uehiculum altissimarum rotarum capsique deuexi. quo solo in campania pro arenas [s add. m. 2] siluae gallinariae uereuantur antequam lapide stenerentur', ubi lemma 'carracutium' scribendum docent Isidori quem mox afferemus locus et 'carrum' similibusque vocabulorum ἀναλογία, reliqua autem sic mecum emendabis: 'uehiculum altissimarum rotarum capsique deuexi, quo solo in Campania pro arena silvae Gallinariae ferebantur, antequam lapide sterneretur'. Exquisitam glossam e fonte perquam bono fluxisse apparet; neque enim frequens est apud veteres illius silvae prope Cumas sitae mentio, et prorsus nova occurrunt carracutii accuratior descriptio, eiusdem in Campania (ubi eiusmodi uehicula ipse vidi) usus, silvae Gallinariae stratura. Auctorem ipsum qui quaesiverit facile de Suetonio cogitabit, qui in Pratorum libris similia multa tractaverit. Immo pro certo ad illum rettulerim, cum Isidorus, qui in Originibus ex nullo frequentius hausit, ipsius huius glossae caput servaverit ita: 'carracutium : uehiculum altissimarum rotarum'. Omisit autem reliqua ut doctiuscula, de suo ipse addens pro libri rationibus nugas etymologicas: 'quasi currum acutum'. Ex Isidoro pendent glossarium arabicolatinum Vulcanii p. 702, 37 Papiasque et Osbernus Maii l. s. s. t. VIII p. 107 coll. 142. Iam si recte Suetonium agnovimus (quod non video cur dubites), reliqua, quae apud Isidorum habes paullo exquisitius de re uehicularia exposita, ex eodem fluxisse veri est simillimum.

2.

Libentius etiam, si fallor, sententiam meam probabis, ubi Suetoniana in illo et cognatis glossariis nominatim afferri audieris. Repperi enim in gemello Vaticani 3321 fratre qui est codex

Casinensis 439 saec. XI glossam quam Vaticanus 6018 non magis exhibet quam 3321 hanc: 'limbus fasciola quaedam [*quadam* cod.] assuta extrinsecus vel extrema pars inaurate uestis set ut solent hominibus dici ornamentum capitis significat'. Ibi quinam sint illi homines quibus dici solet non sine corruptelae gravi suspitione dubitanti mihi succurrit 'a a' ut appellavi glossarii memoria, unde minus foedas scripturas enotavi 'sed ut soet homisus dicit' (e Casinensi 401) et 'set ut sue omisus dicit' (e Vaticano 3320); est enim 'soetomisus' ille purus putus noster Suetonius. Novum habes exemplum librariorum socordiae, qua Suetonii haud aliter atque earundem ab initio litterarum nomen Sui corrumpere solent. Confer velut 'Sindonius' (apud Reifferscheidum p. 247), 'Seetonius' (p. 273), 'Sitonius' (p. 350). Ceterum idem obtigit prae ceteris Laevio et Lucilio. Novum Pratorum fragmentum ex libro 'de genere vestium' petitum esse patet, quo Reifferscheidus praeter alia rettulerat ex Isidoro Originum XIX 31 haustum hoc supplementum: 'ornamenta capitis feminarum nimbus est fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte feminarum. Plautus . . .' Glossae testimonium vides confirmare opinionem Reifferscheidi, praecipuam libri undevicesimi partem ex Suetonio derivantis. Isidori contra memoria docet glossam non mediocriter turbata exhibere. Quae enim in principio eius legimus 'limbus : fasciola quaedam assuta extrinsecus . . .', haec olim ad Suetonianum quod in fine est interpretamentum pertinuisse censenda sunt. Unde paullo audacius sic quispiam pristinam formam restituerit: 'limbus : extrema pars inauratae vestis; sed, ut Suetonius dicit, ornamentum capitis significat. est autem fasciola quaedam assuta extrinsecus', vel similiter. 'Limbus' et 'nimbus' glossographo pro eodem prorsus sunt. Restat ut quaeramus unde manaverit scholion in glossaria. Non ex ipso Suetonio opinor. Videtur potius e pleniore Vergilii Aeneidos IV 137 commentario, ubi Servius haec tantum: 'limbus est . . . fascia quae ambit extremitatem vestium', quali e fonte fluxit frgm. 167 (p. 267 Reiff.) in 'libro glossarum' servatum, ut docet idem Servius ad v. 262. Ceterum Suetonianae interpretationis reliquias in glossariis repperi nullas praeter memoriam quae est in 'asbestos' glossis hanc: 'limbus : fasciola deaurata vel ornamentum capitis', quam e supra prolata in brevius contractam esse apparet. luvat addere alia e glossis petita, sed ita, ut discriminanda separemus et nullius momenti discrepantias omittamus. Pleraque autem glossularum pars redit ad eundem illum Aeneidos versum, velut hae: 'limbum : clavum transversum in veste, ut: 'Sidoniam picto clamidem circumdata [*circumlata* ex *circumlata* Palatinus 1773] limbo' (liber glossarum); 'limbo : clavo' (idem); 'limbo : purpura' (Placidus p. 62, 10); 'limbo : circuitu chlamydis' (Vaticanus 3321, Casinensis 439); 'limbo : circuitu cuiuscumque rei aut ora maris' gl. 'asbestos'; Ambrosianus B 31 sup.: *lymbo dicitur*; Vatic. 3321; Casin. 439); 'limbo : ora vestis auro intexta' (Casinensis 90; glossae 'asbestos': a. i. om.). Aliorsum spectant: 'limbus : genus vestis muliebris, quae in ludis geritur' (concinnavi ex Vatic. 3321;

Casinensibus 401 et 439; Ambr. B 31 sup.; gloss. 'asbestos'; Mai Cl. Auct. VI p. 532); 'limbos : clavos in veste regali' (liber glossarum: *hostio ex osteo pro veste Palatinus*); 'limbus : clavus in veste regia' (glossae Isidori p. 685, 9); 'limbus : vestimentum, quod purpureum in imo habet clavum' (sic duce Nonio p. 541 scripsi glossam Amplonianam¹ p. 344, 31); 'limbus : margo' (Leidensis 67 E: *limbum*); 'limbus : fibulatorium' (gl. 'abavus' minores: *fibulatorum*; diversas partes vestis glossographus commutasse videtur); aliae.

3.

In prato quod est 'de naturis rerum' (frgm. 127* p. 204, 6 ed. Reiff.) haec habes: *duo sunt † axes quibus caelum volvitur; BOREVS quem nos AQVILONIVM vocamus — hic ἀρκτοι sunt id est septentriones, qui nobis semper apparent — cui contrarius est NOTIVS qui AVSTRALIS dicitur.* Pro tertio vocabulo Arevalus coniecit *poli* scribendum, ego autem proposuerim *cardines*, collata glossa codicis Palatini 1773 f. 65^v: *cardines mundi duo: septentrion et meridies; in ipsis enim volvitur caelum.* Neque hinc aliena codicis Leidensis 67, F² f. 59^v 6 memoria: *polum dicit cardines terrae, quibus caelum* (sic correxi quod traditum est *polum*) *volvitur.*

Frgm. 157* p. 243, 5: *FLVSTRVM motus maris sine tempestate fluctuantis.* Nusquam si recte memini singulariter efferatur hoc nomen. Itaque praeferenda codicum CDLO scriptura *flustra.*

Ibidem p. 244, 9: *OSTIA exitus fluminum in mare.* Fluxit hoc interpretamentum in glossarii Amploniani primi partem alphabeticam: *ostia : exitus fluminum in mare* p. 357 a 126 ed. Oehler.

Ibidem p. 242, 10: *AESTVARIA †omnia per quae mare vicissim tum accedit tum recedit.* Pro omnia scribo *nomina*, quo similium proditis litteris vocabulum vix excogitaveris. Cf. glossarium 'affatim': *aestus : motus maris.* Quamquam concedendum vocem illam poetico magis quam pedestri sermoni convenire.

4.

'Voces varias animantium', quarum indices multi exstant in codicibus, sed ut pauci inter se pares sint, aliqua ex parte ad Sue-

¹ Usus est Maius codice Palatino 1773 f. 348_r, cuius adicio discrepantias. P. 250 Reiff.: *tam mutorum, tam* m. 2 del. | *anscres griccire uel sclingere* | *grabulos f.* | p. 312: *rachare* (e e corr.) | *paontas caurire* | *uel seruire* | *lince* | *sibilare* m. 2 ex *siuilare* | *barrire* m. 2. ex *uarrire* | *magi||lare, l* er. | *mugire, i* m. 2 supra versum | *equos himire, h* m. 2. add. | *quirritare*, *tertia r* ex *t* m. 2. | *hyrcos* | *edos* | *canes, a* ex *u* m. 2. | *glatire, l* ex *r.* Ceterum non neglegendae sunt laterculi Althelmiani scripturae, quas e codicibus Parisino 8069 saec. XI et Monacensi 6292 saec. X/XI protulit Conradus Bursian in 'Jahresbericht' I (a. 1873) p. 6 adn.

tonium redire diserte testatur Hugutio, cuius verba e Du Cangio petita Reifferscheidus p. 247 excitat. Sunt autem in codice Vaticano Palatino 1777 a. 1394 ad finem perducto f. 23^v 6 s. *baw-lare* sic scripta: 'Sydonius in libro de naturis rerum'. Alterum testimonium idem Addendorum p. XI indagasse sibi visus est apud Papiam s. *vox*. Ibi enim cum legisset 'uoces mutorum animalium sic declarante efferunt: aquilas clangere . . .' suspicatus est sic ex *Sidonio* = *Suetonio* natum esse. Pro qua quidem coniectura non faciunt Papiae libri manu scripti, velut codex Christinae reginae 1482 saec. XIII/XIV: 'sic declarantes efferunt'. Atque hanc formam veram esse docet Papiae fons, 'liber glossarum' nimirum, unde Reifferscheidus p. 250 ipse Maio Cl. A. VI p. 600¹ duce eadem verba protulit: 'vocem mutorum animalium esse declarantes sic efferunt'. Eius loci integer contextus in Palatino 1773 f. 348^r a hic est: 'ex regula foce grammatici unde non inmerito *eloquium hominum, tinnitum immobilium, sonitum corporalium plerique testantur. nam vocem etiam [tam m. 2 deletum cod.] mutorum animalium esse declarantes sic efferunt: aquilas clangere . . .*

5.

Omnium laterculorum eius modi vocum ieiunissimus ille est, quem Burmannus in Anthologiae Latinae t. II p. 424 edidit indeque repetiit Reifferscheidus p. 250. Hausit ille e codice Leidensi in catalogo p. 369 n. 24 descripto (= B), sicut didici ex apographis Burmannianis (de quibus cf. Prodrumum p. 169 sq.) I 3 p. 392 sq. Iterabo eundem, adscito codice Leidensi 67 F¹² saec. IX f. 152^r (= L).

Voces variae animantium.

1. Ovis bobat 2. Canis latrat 3. Lupus ululat 4. Sus grunit 5. Bos mugit 6. Equus hinnit 7. Asinus rudit 8. Ursus saeuit 9. Leo fremit 10. Elephans barrit 11. Corvus crocitet 12. Merulus frindit 13. Turdus truculat 14. Anser sclingit 15. Grus gruit 16. Milvus lingit 17. Apis bobit 18. Turtur gemit 19. Rana coaxat 20. Hirundo minurrit 21. Populus strepiter 22. Ignis crepiter 23. Cursus aquarum murmurat 24. Ferrum stridit 25. Aes tinnit.

3. ululat *L* | 5 mugit *sive* mogit *L* | 6 aequus *B* | 8 seuit *L* | 10 elefans *L*, aelefans *B* | 11 crocitet *L* | 12 merulus sclingit *B* | 17 aspis *B* | 19 *om. L* | 20 minurrit *L* | 23 murmorat *L* | 24 stridet *B* | 21—25 *B sic collocat*: 22. 24. 25. 21. 23.

Repetii emendatiorem hunc indiculum propterea, quod prorsus eadem forma iam a. 448 exstitit eoque anno in Polemii Silvii laterculum recepta est: v. Mommseni editionem in 'Abhandlungen der K. Sächs. Gesellschaft d. W.' t. III (a. 1853) p. 276. Differentiae autem, quae inter utramque memoriam intercedunt, perlevis sunt momenti. Atque 18 et 19 rectius collocatas habet Silvius, 10 autem librarii demum eiusdem omisisse videntur. Reliqua contra praeter dubia (12. 14. 15. 16) praestant in antiquiore fonte, ut 1 *balat*; 13 *trucilat*; 23 *aquae*; quamquam 17 (ubi *bubbit*

Polemii) *bobit* praetulerim. Neuter fons integer in 24, ubi Polemius tamen propius ad verum accedens *terra stridit*. Scribo *serra stridit*.

Alterum indicem hucusque ineditum descripsi e codice Casinensi 439 saec. XI (non ut Bethmanno videtur IX et X), ubi f. 83^v 6 post Eucherii glossas spirituales haec secuntur:

1. Mugiant boues 2. Inniunt equi 3. Rudunt asini 4. Grunniunt sues 5. Clamant homines 6. 7. Sibilant silue et serpentes 8. Crepant arma 9. Strepunt fabri 10. Latrant canes 11. Ululant lupi 12. Fremunt leones 13. Bombiscunt apes 14. Gruunt grues 15. Grinniunt anseres 16. Gracant corui 17. Iugiunt milui 18. Frecinniunt aues 19. Minurriunt aues 20. Barriunt et stridunt elefanti 21. Balant oues 22. Flant uenti 23. Murant litora 24. Murmurant ursi 25. Tonat deus 26. Bagiant infantes 27. Munniunt mares 28. Glochiant galine 29. Canunt galli 30. Pipant pulli 31. Quassant rane 32. Rabiunt ianue 33. Bilbit anphora in aqua. 34. Baubantur catuli 35. Bannit canis benatica id est gatto 36. Sonat cythare 37. ////////////// [10 litterae legi nequeunt] 38. Iubilant rustici 39. Rachant coraces.

Persimilis est hic laterculus Matritensi cuidam quem Iriarte edidit et Reifferscheidus *M* signavit. Ibi omnia redeunt item concepta praeter ea quae respondent numeris 5, 33 (ibi *M uas pro anphora*; ser.: *aqua in amphora*), 34 (de 39 dubito). Meliores quam illic scripturae sunt in 8 et 18, quod contra Matritensem secutus Casinensem in his facile emendabis: 3 *rudunt*. 6/7 *sibilant serpentes*. *strepunt silvae*. 23/24 *murmurant litora*. *urgant ursi*. 29. *cantant*. Casinensi autem duce e Matritensi, quem ex duobus vel pluribus catalogis contaminatum esse docet interpretamentorum multitudo una cum ordine alphabetico hic observato illic neglecto, sine ullo negotio segregabis certam particulam singillatim olim traditam.

Abest ab illa memoria 35 *bannit*: *canis benatica id est gatto*, ubi lemma scribe *gannit*; nam *gannire* non solum vulpium, sed etiam canum est: quamquam usitatus 'nictit canis venatica'. Non autem praetermittendum quod sequitur 'id est gatto'. Hoc enim additamentum esse scioli cuiusdam docent cum forma: nam Italicorum est *gatto*, tum res: neque enim catus canis venatica. Qui adiecit eum offendisse apparet, quod catti mentio fieret nulla. Atque eadem — ut primo certe aspectu videtur — lacuna reliquorum indicum omnium est, quamquam prout nunc se res habent vel in maxime tenui exiguoque laterculo eius animalis proprietatem nemo non quaesiverit. Poterat hoc novo argumento uti Victor Hehn in aureo suo libro (p. 398 sqq. ed. sec.), ubi ostendit principio demum medii quod vocant aevi homines maiorem cum cattis familiaritatem iniisse¹.

¹ Non inutilem esse moneo ad similia studia etiam Polemii Silvii libellum supra commemoratum, in quo permulta animalium nomina enu-

Raviunt ianuae (32), alibi ut videtur non obvium (in *M* esse iam diximus), bene dictum est de raucis valvis, vocabulo ceteroquin rarissimo.

Corvi (16, 39) vocis variae sunt formae ad eius clamoris sonitum redeuntēs omnes: *crocire*, *crochire*, *grocire*, *croccire*, *grocire*; *crocicare*, *croccicare*; *crocitare*; *cracare*, *gracare*; *cacer(r)rare*. Quod autem tot exstant *δρρογγαφία* tantum inter se discrepantes nihil mirum in vocabulo *δνοματωνοιημικῶ*, quod asperius reddebant duplicando vel aspirando in media voce, emolliebant in principio. Latini non aliter atque eiusdem radices populi duabus syllabis expresserunt illud, quod nobis corvi clamare videntur *krak! krak!*: nempe *crac* et *croc*. Hanc habes in *crocire* (v. v. a. = voces variae animantium), *crochire* (*crochitus* Nonius p. 45), *grocire* (idem p. 455), *crocire* (v. v. a.); *croccitus*: clamor corvi: glossa frequentissime tradita), *croccire* vel *grochire* (Plauti in Aulularia IV 3, 2 codices *grocchibat*, Nonii L. 1 *grocchibat*); *crocicare* (v. v. a.), *croccicare* (eadem); *crocitare* (v. v. a.: incertum utrum *crocitare* a *crocire* an *croccitare* a *crocicare*; mihi probabilius illud, quamvis Philomelae scriptor *croccitare* metiatur). Altera est in formis quas glossariis ducibus vindicabo, *cracare* *gracare* *cacer(r)are*. *Gracare* habes in indice supra edito, quo emendatur libri Matritensis illud *grahant*, quod fortasse ex *grachant* ortum. De forma singulari dubitans repperi in glossariis 'abavus': *cracat*: *cacerrat* (ibidem *cacerrat*: *cracat*), quam memoriam iam non obscurabis cum Hildebrando¹ ad glossarium Parisinum p. 82. Quod eodem loco habes *cacerrare* vel, ut uno tantum loco glossae ampliores, *cacerare* paulo obscurius id formatum et fortasse metathesi quadam natum est. Vide nunc idem sit atque Italicorum *chiacchierare* = 'schwätzen'. Quae coniectura si verum assecuta est, *chiacchierare* verbum a similis avis, graculi nimirum, loquacitate derivatum sit. Non autem obstat forma: cf. *chioma* = *coma*. Ultimum *rachant*: *coraces* videtur ex *crachant* vel *crachant* corruptum esse, *coraces* autem pro *corasten* emendandum in Matritensi.